



The Holy See

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **BONFIMENSIS**

(**PAULALFONSANENSIS**)^{*} DETRACTIS QUIBUS DAM TERRITORIIS A DIOECESI BONFIMENSI ALIA
CONDITUR, NOMINE «PAULALFONSANENSIS». Pastorale menu, quo tenemur, universae Ecclesiae utilitati apte
consulendi, id quandoque requirit ut separatis latiorum dioecesium territoriis alias ecclesiasticas circumscriptiones
condamus. Libenti ideo animo sententiam venerabilis Fratris Antonii Mendoça Monteiro, Episcopi Bonfimensis,
acciendam esse censuimus, qui, auditio Episcoporum Brasiliae coetu, ab Apostolica Sede petiit ut e per ampla sua, alia
deduceretur dioecesis. De sententia igitur venerabilis Fratris Humberti Mozzoni, Archiepiscopi titulo Sidetani et in Brasilia
Apostolici Nuntii, sacrorumque S. R. E. Cardinalium, qui Sacrae Congregationi pro Episcopis praesunt, sequentia
decernimus ac iubemus. A dioecesi Bonfimensi integrum territorium separamus municipiorum, quae vulgo appellantur
Abaré, Antas, Cícero Dantas, Chorochó, Coronel João Sá, Euclides da Cunha, Glória, Jeremoabo, Macurué,
Paripiranga, Paulo Afonso, Pedro Alexandre, Quijingue, Ribeira do Pombal, Rodelas, Santa Brígida, Tucano, Uauá, ex
iisque novam dioecesim constituimus, *Paulalfonsanensem* appellandam iisdemque circumscribendam finibus ac territoria
quae diximus. Cuius sedes episcopalnis in urbe vulgo Paulo Afonso erit, episcopalnis vero magisterii cathedra in templo
Deo dicato in honorem Beatae Mariae Virginis, vulgo Nossa Senhora de Fátima, quod cathedralē habebitur, cum iuribus
et privilegiis congruis. Eadem praeterea suffraganea erit metropolitanae Sedi Sancti Salvatoris in Brasilia eiusque
Episcopus eiusdem Sedis Metropolitae. Canonicorum insuper collegium condatur, iuxta normas per alias sub plumbō
litteras edendas; interea autem consultores dioecesani deligantur, ad leges iuris canonici. Mensa episcopalnis fiet Curiae
emolumentis, fidelium sponte oblatis pecuniis bonisque ad novam dioecesim pertinentibus, ad normam canonis 1500
Codicis Iuris Canonici. Seminarium etiam struatur iuvenibus ad sacerdotium educandis et efformandis, prae oculis habitis
Codicis Iuris Canonici praescriptis, normis decreti *Concilii Vaticani II* «*Optatam totius*» et peculiaribus regulis Sacrae
Congregationis pro Institutione Catholica, selectique alumni Romam mittantur, ad Pontificium Collegium Pianum
Brasilianum, philosophicis theologicisque disciplinis imbuendi. Quod vero spectat ad conditae dioecesis regimen,
administrationem, vicarii capituloaris electionem, fidelium iura et officia idque genus alia, quae sacri canones praescribunt
ad amussim serventur. Simul ac dioecesis Paulalfonsanensis iure constituta fuerit, eo ipso sacerdotes 1111 Ecclesiae
adscripti censeantur, in cuius territorio beneficium vel officium ecclesiasticum habeant; ceteri vero clerici seminariique
tirones ei, in qua legitimo domicilio degant. Acta et documenta novam dioecesim respicientia, a Bonfimensi Curia ad
Paulafonsanensem transferantur, in tabulario religiose custodienda. Haec autem quae praescripsimus ad effectum
adducat venerabilis Frater Humbertus Mozzoni, quem diximus, vel ab eo delegatus sacerdos, congruaque documenta de
more exarentur, ad Sacram Congregationem pro Episcopis quam primum mittenda, rite subscripta, sigilloque
impressa. Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam

decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive mane exaratis, quae sigillum viri preeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur. *Datum ex Arce Gandolfi, prope Romam, die quartodecimo mensis septembris, anno Domini millesimo nonagesimo septuagesimo primo, Pontificatus Nostri nono.*

ALOISIUS Card. TRAGLIA	CAROLUS Card. CONFALONIERI
<i>S. R. E. Cancellarius</i>	<i>S. Congr. pro Episcopis Praefectus</i>

Franciscus Tinello

Apostolicam Cancellariam Regens Iosephus Del Ton, Protonot. Apost.

Eugenius Sevi, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. LXIV (1972), n. 1, pp. 10-11 © Copyright 1971 - Libreria Editrice Vaticana